Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 739
Quelle:
Copyright:

bach czehen Mark, *cze Landestraz czehen Mark*) confirmat, et Hospitum receptiones, pernoctationesque in Coenobio prohibet, dum Res ejus familiaris denuo recreetur. Data: *cze Laubach Anno Domini* MCCLXXVII.

Finem facit Regimen contra Pestilentiam missum, ut praefertur, a graecis Magistris *auz Saligñ*, quod fortasse corruptum dicas e *Salerno*, famosa illa Medicorum Schola. Omnia haec idiomate germanico.

CCCXL.

R. 2230 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 169. f. maj. per duas columnas commode scriptus, coloribus distinctus, et quondam Bibliothecae Episcopat. *Neostadiensis* continet D. *Aur. Augustini de Civitate Dei contra Paganos Libros* XXII. Initium facit: *Sententia de secundo libro retractationum* (c. 43.) *beati augustini in libro de ci. dei.* quemadmodum etiam in Edit. *Maur. Paris.* T. VII. 1685. f. antecedit, sed cum ibi legitur: *Interea Roma — eversa est, cujus eversionem* &c. nos habemus: *Interea cum Roma — eversa est, ejus eversionem* &c. non sane pejus. Sequitur: *Incipit prologus in librum de ciui. dei contra paganos.* Ita: *Gloriosissimam ciuitatem dei sive in hoc temporum cursu* &c. Tum Liber I. *Ex hac namque ciuitate existunt* &c. Capitibus Librorum omnium praescripta sunt minio argumenta eadem, quae in Editionibus leguntur, et in fine Codicis denuo ex iis confectus est Syllabus. Lectio satis proba est, et Opus integrum. Ad calcem accedit *Declaratio quorundam ambiguorum in libro de ci. dei positorum*, et primo quidem, quae *Augustinus* L. XIII. c. 16. e *Timaeo Platonis* a *Cicerone* latine versa citat, e versione *Chalcidii* repraesentantur, dein succedunt mera grammatica levis momenti v. g. *Ignis et plurima hujusmodi accusativum pluralem in* es *uel in* is *indifferenter faciunt.* Finem facit hic lusus:

Sis celi civis, gaudenter vivere si vis.
Christi passi vis tibi donet vivere vivis.

CCCXLI.

R. 2235 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 291. f. max. per duas columnas eleganter exaratus, rubricis et florente initii Litera picturata decorus, olimque ejusdem Bibliothecae aliud Exemplar est praecedentis Operis; hic vero Locum e L. II. *Retract.* sequitur Syllabus Librorum et Capitum. Cetera ejusdem rationis sunt, neque deest ad calcem *Declaratio supracit.* quamvis Inscriptione careat.

CCCXLII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 174 Folior. 400. f. per duas columnas